



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Ca. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

Rom. 6.
& 8.
Gal. 5.
& 6.
Rom. 8.

Sancti dona quæ credentibus dantur, quæ non solam remissionem peccatorum conferunt, sed nouam creaturam in Christo faciunt, ut ambulans in nouitate vite, & secundum spiritum, non secundum carnem, sic demum extra damnationem sit, & uiuat Deo. Si enim Spiritu facta carnis mortificauerimus, uiuemus. Si autem secundum carnem uixerimus, utcumque credentes & præteritorum peccatorum uenia donati, moriemur.

IN IOANNIS CAP. IIII.

14. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.

Operum
gratia
dignitas.



Institut.
lib. 3. c. 15.
num. 3. &
cap. 17.
num. 3.
In Coment.
in hunc lo-
cum.
Tit. 3.
Dua aquæ
fontana &
deriuata.
Ioan. 7.

DOCET hic locus vim & dignitatem operum gratiæ quæ procedunt à Spiritu Sancto, contra impios horum temporum hæreticos, qui hanc vim & dignitatem adeo negant, ut omnia opera Spiritus Sancti in filiis Dei quantumcumque perfectis penitus immunda, adeoque peccatis potius quam uirtutibus accensenda (sunt impij Caluini uerba) esse pronuntient. At loquitur hic Christus de Spiritu Sancto quem daturus est credentibus, quod & ipse hoc loco Caluinus agnoscit. Aqua (inquit Christus) quam ego dabo ei, sup. bibenti ex illa, & Spiritum Dei in se accipienti, (quem per lauacrum regenerationis effundit abunde) fiet in eo fons aquæ, id est, fons donorum & gratiarum: duas enim aquas ponit, unam fontanam seu fontis instar, quia principium & plenitudo gratiarum omnium est, ipsum uidelicet Spiritum Sanctum; alteram ab eo deriuatam ac fluentem, quam alibi uocat flumina aquæ uiuæ fluentia in cordibus credentium, quæ sunt ipsa dona uirtutum & gratiarum quibus filij Dei donantur, salientis in uitam æternam: id est, quæ gratiarum & donorum aqua cordibus piorum infusa, saliet in uitam æternam. Quærimus hinc ab hæreticis horum temporum. Quid est salire in uitam æternam? Caluinus nihil aliud illis uerbis significari uult, quam huiusmodi gratiarum ac donorum perpetuitatem ac stabilitatem. Continua (inquit) notatur irrigatio quæ in hac mortali & caduca uita cælestem in illis æternitatem fouet. Non ergo ad breue tempus in nos fluit Christi gratia, sed se usque ad beatam immortalitatem diffundit, quia fluere non desinit, donec uita incorruptibilis, quam inchoat, suis omnibus numeris constet. Sed iuxta hunc sensum, non erat dicendum, salientis in uitam æternam, sed salientis, uel fluentis potius, in æternum: sic enim perpetuum &

I.

& stabilem eius fluxum notaret. Deinde in priorè sententia
 stabilis hæc & continua irrigatio gratiarum Christi signifi-
 cata est, vbi Christus dixit: *Qui biberit ex aqua quam ego
 dabo ei, non sitiet in aeternum.* Ad quæ verba Calvinus: *Vult (in-
 quit) Spiritum Sanctum scatebram esse perpetuò fluentem, nec
 esse periculum vt exarescant, qui spiritali gratia renouati sunt.*
 Aut ergo in his verbis plus dicit Christus, aut priorum ver-
 borum inanem & insuetam repetitionem facit. Et quidem
 multò plus eum dicere, ipsa verba conuincunt. Illic enim de
 effectù aquæ quam daturus erat, quoad eius perpetuitatem,
 dixit, *non sitiet in aeternum*: quia acceptus semel Spiritus S.
 quantum ex se est, tollit sitim in perpetuum; sitim, inquam,
 siue peruersam ac præposteram rerum noxiarum (qualis fe-
 bricitantium est) terrenarum videlicet & carnalium, siue re-
 ctam & ordinatam rerum diuinarum & spiritualium, qua-
 tenus ad salutem necessaria sunt. Nam sitis & desiderium maio-
 ris perfectionis in hac vita non extinguitur: nec etiam pro-
 flus in altera vita, vbi satietas non est quæ fastidium parit, sed
 cum aliquo semper desiderio coniuncta, quæ ipsam sitim iu-
 cundiores facit. Illic igitur in prioribus verbis docet Spiritum
 S. tollere sitim, qualè dixi in perpetuum, quantum ex se est.
 Nam quantum ex parte hominum est, quorum lubrica & incerta
 voluntas est, quia illi redeuntés frequenter ad vomitum ex-
 cutiunt Spiritum Sanctum, redit iterum illa sitis aut peruersa
 aut ordinata quam dixi, vbi profugus à patre filius *in seipsum*
reuertere incipit. Hic verò & in his verbis docet Christus alium
 effectum aquæ quam daturus erat, nempe vt fieret in bibente
 illam *fons alterius aqua*, non solum perennis & continuus,
 sed admirabilis præterea efficaciam *salientis* videlicet *in vitam*
æternam, id est, eum in quo est, salire facientis (neque enim
 ipsa dona per hanc secundam aquam significata per se saliant
 aut operantur, sed operari faciunt, & operationum sanctarum
 principia sunt, tametsi, vt sic loquar, principiatæ & secundaria)
in vitam æternam, id est, talia opera & virtutes sanctas pro-
 ducentis, quæ hominem ad vitam æternam perducant: siue
 per modum meriti, siue per modum simplicis iustitiæ, hoc
 loco non inquirimus: satis nunc erit ostendere, *aquam salien-
 tem in vitam æternam* ex fonte Spiritus Sancti profluentem,
 esse aquam quæ eum, in quo est, salire facit, id est, efficaciter
 perducit ad vitam æternam. Vltus est Christus verbo *salienti*,
 vt ostenderet huius aquæ efficaciam certissimam, quæ non so-
 lum pertingit aut de facto peruenit ad beatitudinem; sed quæ

2.

3.

Quomodo
 Spiritus
 S. tollit si-
 tim.

Luc. 15.

Salientis
 in vitam
 æternam.

sua quadam energia, efficacia, & impetu (qualis in salientibus est, longè alia quàm in ambulanti- bus, aut quoquo modo incedentibus) ad eam hominem perducit. Ab impetu quippe & virtute principij seu fontis sui Spiritus Sancti, cui nos hæc alterius aquæ dona coniungunt, hæc aqua, hæbent hæc dona & gratiæ credentibus infusæ, vt eos ad Deum perducant, Deoque ac vitæ æternæ dignos faciant. Sumpta est metaphora ab aqua materiali, quæ tantum ascendit quanta est altitudo principij à quo emanat. Sic dona Spiritus Sancti, quia ab eo procedunt, ad eum ipsum eiusque fruitionem hominem cõscendere faciunt. De diuini Spiritus efficacia hoc in loco à Christo significata, vide latius & vberius disputata in Promptuarij Catholici parte Quadragesimali, in Feria 6. hebdom. 3. Quia enim ad præsentis literæ explicationem ea non faciunt, ea hoc loco non repetimus.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.*

Quia hæc mulier Patrum veteris testamenti factum de cultu Dei in monte Samariæ contra Christum præposterè protulit, bonus Calvinus pulchrum sibi argumentum nactus visus est, vt omnem in vniuersum Patrum & Magistrorum Ecclesiæ Christi autoritatè labefactaret; nostramque in illorum factis ac dictis vel imitandis vel in veritatis antiquæ testimoniū proferendis diligentiam in vniuersum condemneret. Quæ in re perinde facit ac si nullas Scripturas pro veritate proferendas quisquam diceret, eo quod diabolus illas contra Christum impiè & præposterè protulit. Sed audiamus superbi hominis ad hunc locum hæc de re verba. *Hic locus* (inquit) *insigni documento est, quàm præposterè faciunt, qui posthabito Dei mandato se cõformant ad Patrum exempla.* Illi haud dubiè præposterè faciunt qui Dei mandatum Patrum exemplis postponunt: quod nemo Catholicus facit. Cæterum Catholici Patrum exempla imitantes, non illa Scripturis aut Dei mandato anteponunt; sed quid doceant Scripturæ, & quid iubeat Deus, malunt à Patribus discere quàm à Caluino; ab Ecclesiæ Magistris antiquissimis & tam eruditissimam quàm sanctitatis nomine celeberrimis, quàm ab vno nouello hæretico, & indocto (quod frequentes eius contradictiones demonstrant) & impio, quod detestandæ eius hæreses, maxime

SS. Patrum
imitatio
& allega-
tio defen-
ditur.

Patres
non Dei
mandato
sed hæreti-
corum plu-
citis ante-
ponuntur.

maximè de Deo auctore & impulsore peccati (vt olim demonstrauimus) ad oculum loquuntur. Audiamus tamè petulantis hominis accusationem; & si quid ea ponderis ac momenti habeat, dispiciamus. *Notandum (inquit) est quomodo hic peccare soleat mundus.* Bonus Caluinus aut extra mundum aut de mundo non est: nisi fortè & idem peccet sicut solet mundus. *Sape (inquit) contingit vt sine delectu pro Patribus maior pars sequatur qui minimè omnium habendi erant Patres.* Si qui ita peccant, Patrum auctoritati nihil hoc derogat, sed eorum temeritatem arguit qui pro Patribus habent qui non habendi erant. Multi olim pro Scripturis habebant quæ apocrypha erant: quod Scripturarum iustam auctoritatem nihil imminuit. *Ita hodie Papiſtas videmus, quum inflatis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apostolis locum dare.* Putidum mendacium impostore hæretico dignum. Sic Patres allegant Catholici, vt Scripturis Prophetis & Apostolicis primum semper concedant locum. *Vbi autem paucos nominarunt honore dignos, coaceruare ingentem hominum sui similitum cateruam, vel saltem descendere ad corruptiora secula, quibus etsi nondum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrina puritas multum declinauerant.* Bene est quòd saltem aliquos Patres honore dignos censere dignatur. Quæ sit alia ingens caterua, coniciendum lectori relinquit, ne, si eos nominaret, in promptu esset exceptio. Cui hoc vnum respondemus, in illa caterua non alios esse, nisi qui Patres illos honore dignos in eadem doctrina ac fide imitati fuerunt. De seculis corruptioribus quod garrit, in nullius seculi Patribus vera hactenus vacillauit fides: nisi aut nullam tunc Christi Ecclesiam, aut sine legitimis Patribus Ecclesiam fingat. Est autem hodiernum seculum omnium quæ hactenus fuerunt, ad fidem ac religionem quod attinet, propter grassantes sine numero hæreticos, corruptissimum. *Ergo tenendum est sedulo discrimen, ne Patres conseantur, nisi quos constabit fuisse Dei filios: deinde qui pietatis suæ excellentia hunc honoris gradum promeriti sunt.* Tenendum quoque sedulo discrimen est, ne scriptura Canonica conseatur, nisi quæ constabit diuinitus fuisse inspiratam: deinde quæ doctrinæ suæ excellentia hunc honoris gradum promerita sit. Sed nec propterea aut Patrum, aut scripturæ, ea, quæ cuique debetur, labefactatur auctoritas.

Frequenter etiam in eo peccatur, quòd temere ex Patrum factis communis lex statuitur. Frequenter quoque in eo peccatur,

In opere de Iustificat. lib. II.

I.

Caluini putidum mendacium.

2.

caur,

catur, quòd ex sanctorum factis in Scriptura commemoratis communis lex statuitur. Nam quia Helias sacerdotes Baal magno numero interfecit, licere sibi hodie Calvinistæ putant sacerdotes Catholicos mactare: & quia Abraham cum ancilla Agar consentiente Sara confuge concubuit, Calvinianæ ancillæ morosas se habere dominas conqueruntur, quòd quum illæ steriles aut vetulæ sint, cum heris suis dormire non permittantur. Nihil fingo, sed quod in nostra Anglia gestum scio. Taceo alia pudoris & modestiæ causa. Nihil hoc tamen vel Scripturarum vel Patrum iustam reputationem imminuit.

Vulgus enim non satis honoris se Patribus habere putat, nisi eos eximat hominum numero. Sic quidam Evangelici fratres non satis honoris se diuinis Scripturis habere putant, nisi omnia in illis conscripta ipsi quoque sine discrimine imitentur. Ita dum nobis in mentem non venit homines fuisse qui labi poterant, vitia virtutibus promiscuè miscemus: unde sequitur pessima in viuendi ratione confusio. Nam quum ad legis regulam examinanda sint omnia hominum facta, trutinam ipsam suis ponderibus subiicimus. Denique ubi tanti sit Patrum imitatio, impunè post eos se peccare mundus putat. Totum hoc ex præpostera quoque Scripturarum lectione accidit interdum, ut vix pro vitiis habeantur quæ à Sanctis viris vel malè perpetrata, vel in figura gesta legunt, aut ab aliis lecta audiunt. Sic propter Dauidis adulterium & homicidium electorum peccata excusantur: & duas sorores ducere exemplo Iacob, aut se ipsum interficere exemplo Sampsonis, aliqui malè sani hæretici se posse arbitrati sunt. Nec tamen vel Scripturarum lectio, vel sanctorum Patrum pia & prudens imitatio, propterea explodenda est. Et Patres quidem homines fuerant, qui labi poterant. Calvinus similiter & Lutherus homines, opinor, fuerunt, qui multò probabilius & labi, & decipi, & toto cælo à veritate ac pietate aberrare poterant, turpissimeque

Gnostici & Circuncelliones.

Bolsecus in vita Caluini. In fine libri de seruo arbitrio.

aberrarunt. Calvinus tamen, ut eum sui imitentur, ad eò libenter semper tulit, ut neminem sibi contradicentem ferre potuerit. Lutheri verò illa superbissima vox est. *Ego in hoc libro non contuli, sed asserui & assero: & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo ut præstent obsequium. Et iterum Scio me mea dogmata habere de cælo.*

3. *Tertium vitium est (ait Calvinus) praua emulatio, ubi scilicet nec eodem præditi spiritu, nec eodem instructi mādato, trahimus in exemplum quod aliquis Patrum fecit. Quid hoc tertium à secundo differat quod proximè posuit, nec ipse Calvinus*

uinus distinguit vnquam, nisi quod ibi imitationem dixit, hic æmulationem prauam vocer. Sed quid ex eo inferat videamus. *Ex hoc fonte fluxisse bonam partem veteris monasticæ fatebuntur qui prudenter veterum scripta expendunt.* Laudo Caluini ingenuitatem. Si enim veteres Monachi à suis maioribus sua instituta acceperunt, eosque imitati sunt; profectò nec res noua est monasticæ vitæ institutum (vt clamare solent hæretici) nec veteres Monachi sua aliqua inuenta amplexi sunt, sed à probatissimis Patribus ea hauserunt. Laude hoc dignum, non vituperio, nemo æquus negabit. Ergo (ait Caluinus) *nisi sponte errare libeat, semper videndum est quo quisque spiritu donatus sit, quid ferat cuiusque vocatio, quid singulis conueniat, & quid singulis sit mandatum.* Bonus Caluinus, quod semper in Ecclesia Catholica accuratè seruatum est, nunc demum quasi nouus de cælo Magister, alios se docere posse arbitratur. Quis nescit in Ecclesia Catholica ordinem hierarchicum esse, vt, ad pietatis studium quod attinet, nec nouum aliquod institutum à pluribus suscipiendum sine iusta autoritate & stricto examine approbatum aliquando fuerit, nec priuatæ personæ singulare aliquod vitæ genus sine Patrum suorum spiritualium ac superiorum approbatione aggredi vnquam potuerint? nihil ergo ad rhombum hæc omnia. Videamus reliqua.

Huius tertio vitio affine est aliud, confusio scilicet temporum, dum posteri in Patrum exemplis occupati, diuersam agendi legem sibi à Domino prescriptam esse non cogitant. Hoc si ita est, iam ad primam accusationem redit, de iis qui post habito Dei mandato ad Patrum se exempla confirmant. Cui quod antea responsum est, hic quoque satisfaciet. Sed aliquid in specie dicturus Caluinus est. Audiamus. *Huius (inquit) inscitia acceptum referri debet immensa caremoniarum congeries, quibus obruta est Ecclesia sub Papatu.* Hæc adhuc indefinita accusatio est, quia nec caremonias designat, quæ spirituali huic viro displicent, nec ex qua parte stet illa cõgeries ostendit. Sed dolosus versatur in generalibus; & Caluino magis ex re visum est dolo agere, quàm in sinceritate veritatis & honestatis. Audiamus adhuc cætera.

Statim ab Ecclesia exordio in hac parte peccari cœptum est, quia plus valuit stulta Iudaismi affectatio, quàm decebat. Habebant Iudæi sua sacrificia. Ne tali pompa carerent Christiani, inuentus est immolandi ritus. Quasi verò deterior futura esset Christiana Ecclesia conditio, si cessassent omnes vmbra quibus offusca

offusca

Veteris Ecclesie accusatio multa de causis rejcienda.

Matt. 10.

1.

offuscari poterat Christi claritas. Hic instituitur veteris Ecclesie accusatio. Sed primum totam actionem reiicimus vt nefariam conpirationem, iuri humano atque diuino repugnantem. Non est audiendus filius contra patrem, aut seruus contra dominum, in iis quae ius paternum, aut domini prerogatiuam concernunt. *Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior domino suo.* Calvinus aut filius & membrum Ecclesie est, aut extraneus, hospes, & aduena. Si filius, aut membrum, non est audiendus contra Patres & capita Ecclesiarum Christi. Si extraneus & aduena, eius accusatio contra domesticos fidei multo magis reiicienda est. Deinde iuxta

2.

1. Tim. 3.

Apostoli regulam, *Aduersus presbyterum accusatio recipienda non est, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Calvinus ergo contra totum presbyterium veteris Ecclesie solus arguens & absque testibus, non audiendus, sed castigandus est. Rursum,

3.

Actio sequitur forum rei. Si veteris Ecclesie Patres reos constituere Calvinus vult, non eos apud tribunal suum, sed apud tribunal Christi, quod in terris aliud non est quam Ecclesia Christi, conuenire debet. Nunc homo impius, & audax, actorem & iudicem agit; accusat, & condemnat. Nullam Ecclesiam sed seipsum audit. Postremo quid erit in religione firmum,

4.

quid constans, quid certum, si totius veteris Ecclesie ab ipso eius exordio (sic enim loquitur) praxis, idque in toto extremo cultu, post tot secula, argui, reprehendi, superstitionis & affectati Iudaismi damnari possit? An non eadem libertate quilibet alius haereticus quodlibet fidei dogma, quantumlibet omnium Patrum ab ipso Ecclesie exordio consensione firmatum, conuellere, arguere, & condemnare poterit? Quare hac in re Calvinus nihil nisi suam dementissimam insaniam pio & prudenti lectori prodidit. *De illis enim dubitare (multo magis illa affectati Iudaismi damnare) quae tota per orbem fruentat Ecclesia, insolentissima insania est,* ait S. Augustinus,

Epist. 118.

vir (ni fallor) Caluino modestior & fide dignior. Sic ipsam (vt dixi) actionem, vt improbi hominis nefariam conpirationem, merito reiicimus. De re vero ipsa, mox in alio huius

Infra cap.

pres. v. 23.

Euangelij loco dicitur.

Recentioris

Ecclesie ac

cusatio re-

fillitur.

Iam ad recentioris Ecclesie accusationem descendit, & ait *Sed postea longius erupit, ac sine modo grassatus est furor.* Farioiosa est infani cerebri declamatio, nulla ratione subnixta, nullo argumento firmata. Concludit tandem. *Ergo ne hic labamur, semper ad presentem regulam attentos nos esse oportet.* At quae est haec praesens regula? Attendat Lector, ne se inanibus

verbis falli patiat. Olim (inquit) suffitus, luminaria, vestes
 sacra, altare, vasa, & similes ritus Deo placebant. Nempe quia
 obedientia nihil habet gratius vel magis pretiosum. Nunc à
 Christi aduentu mutata est ratio. Qui sic Caluine, aut vnde
 id probas? Ne vno quidem verbo probat impostor à Christi
 aduentu mutatam esse rationem, vt nunc caeremoniis exter- Caluini
 nis in cultu Dei externo non sit opus. Sed suam nudam ac fundamen-
 simplicem assertionem, totius accusationis fundamentū po- tum, pro-
 nit. Suam nudam ac simplicem assertionem, presentem regu- pria asser-
 lam vocat, ad quam attentos nos esse oportet. Post omnem de- tio.
 clamationem tam contra veterem quàm contra presentem
 Ecclesiam, quum ad rem & punctum venit, quo accusatio-
 nis totius causa, ratio, fundamentum constitui debet, nihil
 adfertur aliud, quàm nuda & simplex affirmatio. Atqui qua
 ille facilitate mutatam iam esse in Christi aduentu rationem
 affirmat, vt altaria, quæque eò pertinent, locum amplius in
 Ecclesia Christi habere non debeant, eadem facilitate hoc
 totum nos illi negamus: & negantem habemus nobiscū vni-
 uersam Ecclesiam Christi tam veterem ab ipso eius exordio
 quàm presentem. Nec negamus tantum, sed & ex Apostolo
 probamus, disertis verbis dicente. *Habemus altare de quo ede- Hebr. 13.*
 re non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Si alta-
 re, suffitus quoque, luminaria, vestes factas, vasa, & similes ri-
 tus eò pertinentes. Cæterum de re hic non disputamus, nec
 disputandi locus est. Caluini tantum aduertenda improbitas,
 impudentia, impietas, qui post tam longam accusationem
 tam in genere quàm in particulari, tam grauem, tam acerbam,
 quum ad causam firmamentum venit, nihil quàm lectorem
 ludificat. Perperuus hic illi mos est. Audacter asserit, confi-
 denter accusat, copiosè cõcludit. Nihil omnino probat, nihil Caluinus
 confirmat. Hoc est impostorem ac seductorem agere, & vt verus im-
 Apostolus dicit, *in astutia & nequitia circumuenire.* Quare postor.
 iterum post nudam & simplicem assertionem suam fortissimè Ephes. 4.
 concludit. Ergo quid nobis in Euangelio prescribat Christus,
 considerandum, ne temerè sequamur quod sub lege Patres ser-
 uarunt. Nam qua tunc fuit pia sacrorum observatio, hodie sce-
 leratum sacrilegiū foret. Quid in Euangelio prescribat Chri-
 stus, & quàm late patet docendi potestas Ecclesie magistris
 in Euangelio data, & quatenus externis ritibus Deus colen-
 dus sit, ipsa nos Ecclesia docere debet & docuit, nõ Caluinus,
 non alius quilibet post tot secula nouellus magister. Lippis
 ac tonforibus in Ecclesia Catholica notum est, caeremonias
 Eccle

Ecclesiæ non ex imitatione Iudaica magis quam Ethnica, sed ex Apostolorum & Apostolicorum virorum pia institutione promanasse. De qua re mox plura dicemus in postremo huius Euangelij loco. Nam de ipsa SS. Patrum saluberrima & necessaria autoritate, & quatenus ea valeat, & quousque se Lib. 7. ca. extendat, in opere nostro de Principiis fidei iam olim latè 11. & seqq. diximus.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.

Intentiones
bona frustra
impugnantiur.

Locus impotentem Caluini calumniam, qua Catholicos ad hæc verba grauat, paucis repellendi. Hoc (inquit) mine concidunt bona omnes intentiones quas vocant. Habent enim homines nihil posse quam errare, ubi sua eos regit opinio sine verbo aut mandato Dei. Nam Christus personam & consanguinitatis sua suscipiens, Iudeos longè à Samaritanis distans docet, & hoc uno eos præstare, quòd, æterna salutis fœdus cum illis pepigerat Deus: & quòd non incognitum aliquòd nomen, sed Deum unum adorant, qui se illis patefecit, & à quo (sunt in populum adoptati). Obseruanda est collectionis Caluinianæ absurditas pariter & impietas. Absurda & insulsa hæc collectio est. Samaritani quia cum vero Deo falsos deos colebāt, nec ullam habebant religionis suæ certam regulam ac normam, videlicet nec Scripturas (nisi solum Pentateuchum) nec sacerdotes legitimos & à Deo missos, nec certa & legitima sacrificia aut festa à Deo instituta, sed in quatuor sectas (Sebnaeos, Corthenos, Dositheos, Essenos) diuisi, tam sacrificia immutabant, quàm festa transferebant, prout cuique sectæ visum erat, & à solo diuini cultus loco ac templo abhorrebant; has & alias ob causas, adorabant quod nesciebant, id est, in toto Dei cultu aberrabant: ergo Christiani Catholici nullas bonas intentiones habere possunt, nisi quæ in Dei verbo aut mandato scripto continentur. Hæc est enim ex illis

Epiphanius
her. 9.

Caluiniana
absurditas
in simili
demonstratur.
Rom. 8.

verbis, Vos adoratis quod nescitis, Caluini conclusio. Cuius absurditas in simili apparebit. Qui ambulat in tenebris, ambulat quòd nescit: ergo qui ambulat in lumine, nisi lucernam manu gerat, ambulat quoque quòd nescit. Christiani quippe Catholici, & fide iam ac Spiritu Dei donati, ambulant in lumine, aguntur Spiritu Dei, habent ductores quos Deus illis dedit. Scripturarum lucerna non semper opus habent. Multa pietatis opera vel ex Spiritus sancti solo instinctu, vel iuxta ducto

ductorum suorum ac Pastorum consilia, absque expresso in Scripturis mandato Dei, piè ac laudabiliter exequentur. Quorum nisi in ipsis Scripturis multa occurrerent exempla (quæ in Promptuario nostro Catholico enumerauimus) fingi hoc à me videri posset. Nunc autem ex bonis filiorum Dei intentionibus (quibus se hostem Calvinus profitetur tum hoc, tum aliis in locis) quæ vel non expectato Dei mandato spontaneas Deo oblationes & hostias spirituales faciunt, vel præter & ultra ipsum Dei mandatum in Scripturis positum (quod frequenter necessaria sola præscribit) opera supererogationis præstant, innumera bona opera Deo gratissima procedunt. De quibus in Promptuario nostro Morali semel atque iterum disseruimus. Vt ipsemet Calvinus hunc suum commentarium in Euangelium Ioannis, in Harmoniam trium Euangelistarum, in omnes Apostolicas Epistolas conscriberet, in quo (quæso) verbo aut mandato Dei scripto fundatur? aut ubi mandatum in Scriptura accepit? An negabit tamen aut videri non volet ex bona intentione ad Dei gloriam & proximi utilitatem se ea omnia scripsisse? Negare etiã poterit absque villo Dei verbo aut mandato in Scripturis posito ad illa opera animũ applicuisse? Cur ergo cæcus hæreticus in aliis tam multis piorum bonis operibus ac laboribus easdem bonas intentiones non aduertit? Cur eas reprehendit, & hominum impiorum, qui verum Deum ignorant, cæco cursui assimilant? Omnes à vero Dei cultu alieni, vt isti Samaritani, vt pagani, vt hæretici, adorant quod nesciunt: nec eos iuuare possunt bonæ aliquæ intentiones, quia sine fide impossibile est placere Deo, & Spiritum Dei non habent à quo agantur. At verò pij & Catholici Christiani, Christo Capiti in suo corpore, quod est Ecclesia, adhærentes, ideoque Spiritũ Christi qui in corpore eius est, & extra corpus eius non est, in sese habentes, id adorant quod sciunt, in Dei cultu non aberrant, tamen extra Scripturæ terminos multa bona in Scripturis non præscripta operentur; & eorum bonæ intentiones plurimũ eos iuuant, multaque præclara opera Deo grata, proximis utilia, proferrunt. Ex quibus efficitur non absurdam modò, sed & impiam (vt dixi) collectionem hanc Calvinianam esse. Quare quod iterum hoc loco reperit & ingeminat, eadem impietate laborat. Quantumuis (inquit) in sua pertinacia sibi blandiantur & plaudant, qui ex sensu suo vel hominum traditionibus adorant Deum, hæc una vox de calo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prosternit. Itaque vt Deo probetur nostra

In Dom.
infra Off.
Natiuit.
Dom.

Domin. 3.
post Epi-
phan. tex.
1. Domin.
Pasch. tex.
2. Dom. 4.
post Pent.
tex. 2.

Hebr. 10.

Haeretici
sensum
suum &
hominum
traditio-
nes sequun-
tur.

religio, necesse est ut in scientiam ex eius verbo conceptam recumbat. Quadrant hæc verba optimè in ipsum Calvinum, omnesque sectarios, qui ex sensu suo (non ex sensu Ecclesie, non ex sensu & consensu Sanctorum Patrum, contra quos modò Calvinus declamavit, non ex sensu Sacrorum Conciliorum) & ex hominum traditionibus, Lutheri, Buceri, Zwinglij, & aliorum placitis, Deum adorant, Scripturas exponunt, dogmata fabricant, cultum instituunt. Isti omnes adorant quod nesciunt. Istorum religio non recumbit in scientiam ex verbo Dei conceptam, sed in scientiam ex proprio cuiusque cerebro natam; ad quam postea Dei verbum contorquent, ut in nostris, fauente Deo, Antidoris Euangelicis & Apostolicis toti orbi manifestum fiet. Catholici verò, quorum hic bonas intentiones extra scriptum verbum impugnat Calvinus, nec ex sensu suo, nec ex hominum traditionibus, sed ex sensu Spiritus Dei quem acceperunt in corpore Christi, & ex hominum, quos Deus misit, suæque Ecclesie præfecit, & eam docere ac regere iussit, doctrina & præceptis Deum colunt. Religionem quoque tenent non à seipsis recentur inuentam, ut Calvinus cum suis, sed ex verbo Dei conceptam, iuxta perpetuam Catholicæ Ecclesie fidem, & Sanctorum probatorum expositiones orthodoxas: quas contra omnes quocumque tempore exurgentes hæreses Pastores Ecclesiarum, qui pro tempore fuerunt, summa religione & diligentia sequuti & imitati sunt, ut alio in loco ostendimus.

De Trin-
cip. fidei
lib. 7. c. 12.
Haeretici
hodie ado-
rant quod
nesciunt.

Iam verò absterisa hæc Calvini in Ecclesiam Catholicam calumnia, videamus quàm hæc reprehensio, Vos adoratis quod nescitis, in ipsum maximè Calvinum omnesque hæreticos rectè ac meritò retorqueri debeat. Samaritani adorabant quod ne ciebant, quia nec verum Deum cognoscebant, nec eum rectè colebant. Non cognoscebant verum Deum, quia quem pro Deo colebant, illius solùm terræ Samaritanæ, non vniuersorum, Deum esse credebant. Non eum rectè colebant, quia nec ritus à Deo præscriptos tenebant, & præterea multos falsos Deos adorabant. Temporis denique progressu etiam templum magnum in monte Garizim extruiebant, quod templo Hierosolymitano ex Dei mandato extructo æmulum foret. Sic templum contra templum, altare contra altare erigebant, seque veros Dei cultores venditabant. Eorum originem his verbis describit Scriptura. Abductis decem tribubus in Assyriam (quarum tota possessio Samaria tunc vocabatur) & in eorum locum ac possessiones Assyriis transiatis, Num-

Samari-
tanorum
errores &
origo.

Num-
clauum

ciatum est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transulisti, 4. Reg. 17.
 & habitare fecisti in ciuitatibus Samarie pro filijs Israel, igno-
 rant legitima Dei terra, & immisit in eos Dominus leones: &
 ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terra. Precepit
 autem Rex Assyriorum, dicens, Ducite illuc unum de sacerdo-
 tibus quos inde captiuos abduxistis, & vadat & habitet cum
 eis, & doceat eos legitima Dei terra. (Semper vocant eum
 quem colere intendebant, Deum terræ, quasi illius terræ pro-
 prium quendam Deum, & non totius vniuersi conditorem.)
 Igitur quum venisset vnus de sacerdotibus his qui captiui ducti
 fuerant in Samaria, habitauit in Bethel (hic est ille mons in Gen. 33.
 quo Iacob adorabat, & de quo hæc mulier in hoc Euangelio
 loquitur, exstructo tunc illic templo magnificentissimo) &
 docebat eos quomodo colerent Dominum. Et vnaquæq; gens
 fabricata est Deum suum: posueruntque eos in phanis excelsis
 quæ fecerunt Samarita, gens & gens in urbibus suis in quibus
 habitabat. Viri enim Babylonij fecerunt Socoth-benot: viri
 autem Cuthæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt
 Asima. Porro Heuæi fecerunt Nebahaz & Tharshac. Hi autem
 qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adra-
 melech & Anamelech dijs Sepharuaim, & nihilominus cole-
 bant Dominum. Fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes
 excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus. Et cum Do-
 minum colerent, dijs quoque suis seruiebant, iuxta consuetudi-
 nem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: vsque
 in presentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent
 Dominum, neque custodiunt ceremonias eius atque iudicia, &
 legem, & mandatum, quod preceperat Dominus filijs Iacob.
 Hæc est Samaritanorum origo, hæc eorum adoratio, hic
 cultus. Sic adorabant quod nesciebant.

Vide nunc an non in nostri maximè temporis hæreticis
 eodem modo se res habeat, vt verissimè adorent quod ne-
 sciant. Samaritani colebant Dominum in Bethel, in quo postea
 loco Manasses homo Iudæus, ducta in vxorē Sanabaleris filia,
 qui Darij nomine Iudææ præfuit, ne fratre summo apud Iu-
 dæos Pontifice esset inferior, magnificum templum extruxit,
 & Sacerdotem se illic creauit, ac quoscunque potuit apostatas Iosephus
 (vt ait in hunc locum Caluinus) premijs ad se pellexit: soceri Antiq. lib.
 videlicet sui frerus potentia. Sic autem in hoc monte Domi- 11. cap. 8.
 num colebant, vt vnaquæque gens in alijs excelsis & phanis
 sua idola suis proprijs ritibus colerent. Omnino pari ratione
 hæretici hodie Christiani Catholici quum essent, ipse impi-

Lutherus
alter Ma-
gister.

mis Martinus Lutherus monachus, sacerdos, & Doctor, ne quodam alio fratre suo cui indulgentiarum publicatio (res tum lucrosa) commissa fuit, inferior esset (eandem quippe modis omnibus ambiebat) fretus Saxoniae ducis autoritate ac potentia, cuius novellae filiae Academiae Vvitembergensi primarius professor ascitus fuerat, novum in Germania & per amplum latere parentis Schismatis templum erexit; altare contra altare, cathedram contra cathedram instituit; Romanae Sedis legitimam autoritatem omnibus modis conuellens, Sacerdotem se illic, novum Evangelium, Prophetam, Apostolum creavit: & ut Caluini verbis utar, *quoscumque posuit apostatas ad se pellexit*. Mox Lutherani quasi noui Samaritae crescere & multiplicari coeperunt. Caeterum qui Luthero ad momentum adhaeserunt, & cum eo *Dominum colebant*, id est, Christiani vocari semper volebant, confestim suos quisque Deos, sua idola, sui cerebri phantasmata colebant, alij rigidi, alij molles, alij extrauagantes Lutherani: & inter hos alij Zvvingliani, alij Anabaptistae, alij Osiandri, alij demum Caluinistae. Vt multo plures sectae breui momento exorta sint, quam apud Samaritae Gentes erant diuersos Deos colentes. Qui quidem omnes, sicut Samaritae Dominum in Bethel coluerunt, sic iuxta novum Euangelium a Luthero restauratum, se Dominum colere protestantur. Lutherum enim pro viro Dei & magno Propheta omnes adhuc sectae reuerentur: & illorum Bethel Vvitemberga est. Interim tamen alius Geneuae, alius Tiguri, alius in Anglia partim Protestantium, qui Regiae voluntati se accommodant, partim Puritanorum cultus est, alia politia, varia & diuersa dogmata. Omnibus hoc commune est, ut cum Samaritis illis non custodiant ceremonias, iudicia, atque mandata Dei iuxta eorum praescripta, quibus Christus dixit, *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quaecumque praecepi vobis*, iuxta Ecclesiae Catholicae & Praepositorum eius doctrinam & traditionem. Sequitur vultus quisque sua placita, tam in Sacramentorum administratione, quam in verbi praedicatione, totoque cultu atque doctrina. Sic adorant quod nesciunt: *in tenebris ambulant*. Ab eis lumen accipere volunt, quibus Christus dixit, *Vos estis lux mundi*. Ab eo pasci nolunt, cui Christus dixit, *Pasce oves meas*. Eos audire nolunt, quibus Christus dixit, *Qui vos audit, me audit*. Illis obedire nolunt, de quibus Paulus dixit, *Obedite Praepositis vestris*. Suam quisque lucem sequi vult, semetipsum pascere, solum Christum in Scripturis, prout ipsis sonat, loquentem

Matth. 28.

Matth. 5.

Joan. 21.

Luc. 10.

Heb. 13.

quentem audire, nemini obedire volunt. Sic adorant quod nesciunt, & ambulant quò nesciunt. Nam cum veteribus quoque Samaritis faciunt sibi ex nouissimis sacerdotes excelforum. Homines mechanicos, illiteratos, audaces, temerarios, ministerio verbi præficiunt. Hos cæcos duces cæci sequuntur, ut adorent quod nesciant. Sanè cõtentione illa Samaritanorum cum Iudæis propter extractum illud templum longius progrediente, re tandem ad iudicium Ptolemæi regis delata, & acerrimè à cuiusque partis aduocatis examinata, ex hoc imprimis argumento, quòd Iudæi templi sui antiquitatem multo maiorem, Sacerdotum in eo perpetuam successionem, Prophetarum, qui illi adhæserunt, prædicationem ostenderent (quibus omnibus Samaritæ carebant) causa ceciderunt Samaritæ. Pronunciatum est eos adorare quod nesciebant; Iudæos illud adorare quod sciebant, id est, totius cultus sui certam scientiam, certa fundamenta, normam & regulam certam habere. Eundem planè in modum nullo negotio conuincuntur hæretici hodie adorare quod nesciunt, quia in eorum Bethel, nec antiquitas est, nec sacerdotum successio, nec Prophetarum prædicatio: demonstrabitur verò nos Dei beneficio Catholicos hæc omnia habere, apud nos esse totam antiquitatem, ex cuius testimoniis fidem nostram roboramus, esse Pontificum & Sacerdotum successionem, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam: esse SS. Doctorum & Patrum vnanimem consensum, quibus Ecclesia (vt Augustini verbis vtar) plantatoribus, rigatoribus, edificatoribus, Pastoribus, nutritoribus creuit: ideòque nos adorare quod scimus. Et sicut olim salus ex Iudæis erat, quia Christus salutis author, & Euangelica doctrina, & lex & promissiones ex ipsis erant, quatenus eis prædicta & promissa, & à Christo (qui ex eis erat) impleta fuerunt; sic nunc salus ex Catholicis est, & in sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana, quia Christus salutis author non nisi in illa Ecclesia, quæ corpus eius est, loquitur, quia tota Euangelica doctrina & lex Dei, & quæcunque Dei promissiones in ea & ex ea sunt, quatenus eius ministerio docentur, & non nisi in ea, eiusque vnitati adhærentibus, adimplentur ac possidentur. Et sic quidem omnes horum temporum sectæ & hæreses hoc vno fulmine concidunt; Vos adoratis quod nescitis: & hæc vna vox de cælo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prostermit.

*Iosephus
Antiqu. lib.
13 cap. 60*

*Contra
Iul. lib. 20*

*Salus ex
Ecclesia
Catholica*

23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.

Cultus externus a-
struitur ac
defenditur

Locum hunc insigniter hodie deprauant hæretici. His quippe verbis fortiter pugnant, noui testamenti cultum & Euangelij statum omnibus externis ceremoniis vacuum esse debere, nec nisi spirituales, nudum, ac simplicem. Spiritum enim hoc loco interpretantur vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantum spirituales significat. Vnde Calvinus. *Deum colere in spiritu & veritate, est ablati veterum rituum inuolucris simpliciter retinere quod spirituale est in Dei cultu. Nam veritas diuini cultus in spiritu consistit, ceremonia autem quiddam erant aduentiuum. Et iterum. Omnibus seculis fide precibus, gratiarum actione, puritate cordis & vna innocentia coli Deus voluit: sed erant in lege variae accessiones vt spiritus & veritas sub inuolucris laterent. Sic spiritum & veritatem exponit quatenus externis omnibus ritibus & ceremoniis opponitur, quibus spiritualis cultus adumbratur & significatur. Sic omnes ceremonias quæ aliquid spirituale adumbrant aut significant, pro Iudaicis habet Calvinus. Quare mox ceremonias Ecclesiasticas pro huiusmodi habens, in eas inuehitur. Hoc (inquit) discrimen in Papatu non modo confusum, sed penitus euersum fuit. Neque enim illic minor est vrbularum densitas, quam fuit olim sub Iudaismo. Sed fallit lectorem impostor. Ceremoniæ Iudaicæ non ideo vmbra fuerunt, quia spirituales & interiores cultum adumbrabant aut significabant, sed quia rerum veritatem, quas Christus completurus erat, vel quæ in Christo compleri debebant, typicè & figuratiuè adumbrabant. Neque enim sacrificia animalium & ceremoniæ Iudæorum exteriores, data & instituta à Deo erant, quasi actus exteriores ex interiori virtute procedentes, neque ea iussit fieri, quasi illa ipsius fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent (quamuis qui ea fide & dilectione exhibuissent, rectè & in spiritu facere dicti fuissent, nec sic legale opus exercuissent, sed Euangelicum, nouique testamenti proprium) sed vt essent figuræ ac representationes quædam eorum quæ per Christum futura erant, cuius venturi fidem illa exercendo protestati sunt. Et in hoc Iudæorum cultus à Gentilium cultu facillimè differebat. Non enim Gentes sua holocausta & ritus faciebant quasi futurorum signa, sed quia grata diis suis existimabant. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum: imò expressè eos docuit Deus quòd holocaustis*

Ceremonia
Iudaica
quomodo
vmbra.

caustis & sacrificiis non delectaretur. Quare non ea instituit quasi quæ in se & per se placerent, nec ut eorum tantum obedientiam exercerent, ut putat Caluinus, qui *ideo hæc Deo grata fuisse ait, quia ab ipso mandata & præscripta fuerunt*; sed ut figura eorum quæ illi placebant, & ut paedagogia quædam ad rerum pro salute humani generis futurarum notitiam eos manuducens. Adorare igitur *in spiritu & veritate*, nõ est nullis externis ceremoniis Deum colere, (ne etiam eadem opera omnes etiam externi pietatis actus excludantur) sed est non amplius aut in falsitate adorare, sicut fecerunt Samaritani (ut supra explicatum est) aut sacrificiis figuratiuis ac ceremoniis ymbraticis, quæ alterius cuiusdam veritatis ymbræ ac representationes sunt; verum in veritate rectæ fidei, sanæque doctrinæ, & in operibus ex Spiritu procedentibus, & actibus cum interna pietate coniunctis Deum adorare. Si enim rectè aduertimus, hæc duo aliis duobus Christus opposuit. Quum enim dixisset, *Venit hora quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem*, interiecta aliqua distinctione vtriusque adorationis, & Samaritanorum adoratione reiecta, Iudæorum defensa, subiungit repetens: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Indæotum adorationi, id est, toti cultui externo, qui in templo Hierosolymitano fiebat (de eo enim erat tunc sermo) opponit adorationem ex spiritu, id est, cultum non legalem, sed Euangelicum, non carnalem, sed spirituales, non in sacrificiis & ceremoniis futurarum rerum figuratiuis, & ymbraticis, sed in actibus seu merè internis ac spiritualibus, ut pura fide, dilectione, spe, seu externis ex spiritu procedentibus, & ab aliis illis virtutibus aut elicitis aut imperatis, idèoque spiritualibus quoque. Samaritanorum adorationi, quæ tota falsa erat & cæca (adorabant enim quod nesciebant) opponit cultum Dei in veritate, in sana fide, & recta Dei notitia: ut veritas errorem excludat, quo Samaritani laborabant, sicut spiritus ceremonias legales & carnales excludebat, ex quibus cultus Iudaicus constabat. Et hic sensus à doctissimis Ecclesiæ Patribus traditur, ut mox docebitur.

Adorate
in spiritu
& veritate.

Sed ut ad Caluini commenta respondeatur, non est quidem dubitandum, omnibus seculis fide, precibus gratiarum actione, puritate cordis, & vita innocentia se Deum coli voluisse, & spirituales Iudæos ita Deum verum pie ac studiosè coluisse. Sed nõ erat ille legalis cultus, verum Euangelicus, nec templo Hierosolymitano proprius, cui adoratio in spiritu opponitur, sed

Caluini
caustis
respondetur.

quem quouis in loco ac tempore, quilibet verus Israëlita seu alius quicumque Dei cultor exerceret. Accessiones verò ceremoniarum Iudaicarum non ideo adhibebantur, vt in illis involucris spiritus ac veritas lateret, vt Calvinus affirmat, spiritus, inquam, & veritas, sicuti hoc loco à Christo accipiuntur, vt supra satis ostendimus, sed ad futuras veritates adumbrandas, vt iam dictum est, docetque latè in epistola ad Hebræos Paulus. Quod ergo Calvinus addit hoc discrimen in Papatu esse confusum adeoque euersum, quia non est illic minor umbrarum densitas, quàm olim sub lege fuit, vel putida cauillatio vel crassa ignorantia est. Nullas enim umbras Papatus habet, nullas ceremonias umbraticas, quæ videlicet futurarum rerum umbræ & figuræ aut repræsentationes sint, quales ceremoniæ Iudaicæ erant, dicente Apostolo: *Umbram habens lætitudinis futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Nostra Sacramenta, nostrum sacrificium à Christo institutum, non sunt futurorum bonorum umbræ, sed sunt præsentium bonorum, quæ nobis conferuntur, instrumenta & signa efficacia. Nostræ ceremoniæ circa Dei cultum, nostra templa, altaria, vestes, ac vasa sacra, luminaria, sufficis, nostræ genuflexiones, & quicumque externi ritus, nihil futurum adumbrant, sed vel actus exteriore sunt ex interiori virtute procedentes, quæ per se Deo placent, vel actus reuerentiæ erga Deum, atque etiam ad excitandam mētis deuotionem, & ad rerum spiritualium, quas tractamus, aliquam expressionē, ac denique interni cultus nostri attestacionem, quæ omnia spiritualis cultus adiuuamenta sunt.

Ceremonias umbraticas Ecclesia non habet. Heb. 10.

Ceremonia Ecclesiastica cur adhibetur.

Calvinus ex seipso refutatur. Institut. lib. 1. c. 14. num. 1. & 16. & 17.

Cap. 4. num. 30.

Videamus an hoc ipsum Calvinus & sequaces eius interdum non attestentur. Sanè Calvinus tum in definitione Sacramenti ait, *nos in Sacramento tum pietatem nostram erga Deum tam coram eo & Angelis quàm coram hominibus testantur* postea explicans Sacramenti naturam, ait diserte: *Sacramenta ceremonias esse, quibus Deus exercet populum suum attestandam apud homines religionem, tum denique in virtutis sum de ceremoniis dicit, gentilitias illas initiationes in sacra & ceteros degeneres ritus, tamen si erroris erant ac superstitionis pleni, indicio tamen fuisse non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Theodorus quoque Beza in Confessione fidei sua ita scribit. *Christus veteri illas umbras suo fulgore ita dispulit, mundumque ita docuit in spiritu*

spiritu & veritate Deum colere, ut tamen nihilominus crasse & rudis nostra natura habuerit rationem, ideoque signa exteriora adiunxerit. Habemus claram & perspicuam aduersariorum confessionem. Quæ si ad certa Sacramenta, certalque ceremonias, quales Caluino placent, piè retinendas valent; quanto magis ad illa Sacramenta, ceremonias ac ritus omnes, quos tota per orbem frequentat Ecclesia, piè ac laudabiliter retinendos valere debet: Ineptè igitur, & quod suæ ipsius doctrinæ ex diametro aduersatur, addit hoc loco Caluinus. *Quibuscumque elabi cauillis conentur, in externa tantum forma nos esse Patribus dissimiles constat, quia illi spiritualiter Deum colentes ceremoniis astricti erant, qua Christi aduentu sunt abolita.* Habemus quippe & nos ceremonias ac ritus (teste Caluino) sine quibus religionis professio non subsistit, & ut ait Beza, quæ crassa ac rudis nostra natura postulat. Non ergo Iudæis in externa forma ideò dissimiles sumus, quòd illi ceremoniis astricti erant, nos nullis astringi debemus; sed in hoc planè plurimum dissimiles sumus, quòd illi per suas ceremonias Deum spiritualiter non colebant (quod hic asserere videtur Caluinus) sed aliud quid agebant, ut suprà explicatum est. Tales vmbrales ceremoniæ Christi aduentu abolitæ sunt: ceremoniæ Ecclesiasticæ, quales suprà descripsimus, abolitæ non sunt, ipsomet teste & approbante Caluino. Frustra igitur hoc loco, atque etiam paulò superius contra veteres Patres ceremoniarum cultores, planèque suæ ipsius doctrinæ repugnanter declamauit Caluinus.

Nunc sensum verborum Christi quem dedimus, quatenus adoratio in spiritu & veritate, adorationi Samaritanorum & Iudæorum à Christo opponitur, ex Patribus aliquot doctissimis confirmabimus. Tractans hunc locum D. Ambrosius ait. *Spiritus hic ponitur pro gratia spirituali, in qua adoratur Deus sicut adoratur etiam in veritate. Non enim adoratur, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio haurit affectu.* Veritatem igitur opponit errori circa verum Deum quo laborabant Samaritani: Spiritum seu spiritualem gratiam ceremoniis Iudaicis, qua illæ carebant, & quæ Euangelio propria est. Idem clarius & expressius. D. Cyrillus in hunc locum. *Præsens aduentus sui tempus Christus significat, in quo figuras legis in veritatem, & vmbra in cultum spiritualem, & placentem Deo Patri viuendi normam per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat.* Spiritualis enim adorator Deo gratus est, qui non forma & figuris Iudaicis ad pietatem adumbratur, sed Euangelica virtute

De Spiritu
lib. 3.
cap. 11.

In Ioan.
lib. 2. c. 93.

*refulgens recta dogmatum disciplina veram peragit adoratio-
nem.* Cultum spirituale opponit figuris Iudaicis, & veritatem
De Trinit. exponit rectam dogmatum disciplinam. Nec multum aliter
lib. 2. Hilarius qui in his duobus verbis, *in spiritu & veritate, liber-
tatem ac scientiam adorantium ostendi ait: Libertatem*, quia
vmbatico cultui non astringitur, nec vlli certo loco, vt veri-
que putabant tam Samaritani quàm Iudæi. *Scientiam*, vt er-
rorem ac falsitatem, qua laborabant Samaritani, à veris ado-
ratoribus remoueat. Sic igitur adoratur Deus in spiritu &
veritate, vt quemadmodum actus pietatis externos, & opera
charitatis erga proximum, quibus Deum colimus, Deoque
seruimus in iustitia, hæc adoratio non excludit; ita nec vel
Sacramenta vel ceremonias Christianas excludat, quibus cul-
tus Dei externus administratur; vel ad Dei gloriam, vel
ad nostram in Deum fidem ac pietatem magis ac magis ex-
citandam.

48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

Afferunt hæc verba difficultatem non modicam. Quam
enim alibi dicat Christus Iudæos nõ credentes ei, hoc
nomine non fuisse peccaturos, si miracula non fecisset, id
est, absque miraculis ad credendum nõ fuisse obligatos, quo-
modo hic reprehendit Iudæos quòd miracula expeterent vt
Christo crederent? Ait enim Ioan. 15. *Si non venissem, & opera
non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: id
est, peccato illo incredulitatis positivæ obnoxij non tene-
rentur* Deinde prædixit per Prophetas Deus, maxime Esa. 31.
plurima futura miracula in signum aduentus Messia. Merito
igitur illa expetebant Iudæi. His accedit quòd in omni noua
doctrina miracula ad eius confirmationem à Deo exhiberi
solent. Sanè Calvinus propter hanc Christi reprehensionem
etiam Catholicos taxat, quòd à nouis hodie dogmatibus mi-
racula exigantur. *Vtinam* (inquit) *non hodie quoque plurimos
teneret similis morbus. Sed hac voce nihil magis vulgatum. Præ-
cedant miracula vt aures præbeamus huic doctrina. Quasi ve-
rò ita sordere nobis debeat Christi veritas nisi aliunde fulciatur.*
Hæc ille. Sed aduertenda causa specialis est, cur Iudæorum
incredulitas miracula exigentium taxata fuerit. Sanè quia
iam antea Ioannis testimonia tam multa & tam perspicua
de Christo audiuerant, quibus credere debuerant absque vllis
miraculis, hanc enim hauriunt. *Ille enim missus erat vt omnes
crederet*

*Cur Iudæi
miracula
exigentes
reprehenduntur.
Ioan. 1.*

credere per illum. Sed & ipsi Ioanni prædicanti adeo absque vllis miraculis crediderant, vt illum esse Christum existimarent. Samaritani quoque Christo prædicanti sine vllis miraculis crediderunt. Christi quoque sola prædicatio omnes eum audientes ad credendum obligabat absque miraculis, eo quod quoscunque exterius docebat, eorum corda interiorius mouebat, vt, qui vellent, possent credere. Ideo Christus Iudæis dixit: *Si non venissem & locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Has igitur ob causas non erant illis miracula absolute necessaria, nec illa auidè flagitare debebant. Hinc ad obiecta patet responsio. Iudæi visis Christi miraculis adhuc increduli multo grauius peccauerunt, & absque miraculis hoc graui peccato caruissent. Quæ Prophetæ prædixerunt futura miracula, non erant expectanda à Iudæis vt crederent, sed Ioannis testimonio prius debebant credere, & illa postea miracula expectare, videlicet ad confirmandam non ad generandam fidem. Omnis autem noua doctrina miraculis indiget, vel ad confirmationem fidei, vel ad ipsam fidem generandam, vbi nouus Magister nullam legitimam authoritatem habet. Neque hoc ideo fit quasi *fordeat nobis Christi veritas nisi aliunde fulciatur* (vt garrit Calvinus) sed quia nec Christus nunc amplius loquitur, nec legitime ab eo missi, quibus absque miraculis credendum erat; sed tales loquuntur quorum & doctrina noua & authoritas nulla est. De hac re plura diximus super Matthæum, & supra in hoc Euangelio ad cap. 2. Ioannis.

Ioan. 11.

Matth. ca. 16. & 24.

IN IOANNIS CAP. V.

4. *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

Locus varia notandi & obseruandi contra nostri temporis hæreticos. Primum, quod hoc tantum miraculū in tota veteri Scriptura non commemoratur, quum tamen vt rem longo tempore vltimatam ac vulgarem Euangelista commemoret. Iste vnus languidus nunc sanatus totis 38. annis aquæ motum expectauerat,

I. Doctrina non scripta.